Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

tuam domine, quam te adiuuante ad tuam sanctam gratiam
perducere curaui, ut tu illos semper protegas, et tue conso
lides fidei, tue applices ueritati. Ego autem quia incolatus
meus prolongatus est, et tempus instat ut terram fragilem
terre reddam, et tuam uideam desiderabilem gloriam, eandem
tu nemo sine premio seruit. Ecce uenio ad te. tuque
clementissime in pace spiritum meum suscipe. Hec cum orasset precepit
discipulis suis. Nolite ingens filioli mei tumuli gloriam
mihi construere. nec propriam uolo habere domum. in alie
no sepulchro me ponite. Sit de me post me talis
collocutio. Gregorius dum uixit in hoc seculo nullius dici
uoluit dominus loci. In alienis uitam duxit ut peregrinus.
caro eius extincta in alieno recubat antro. Postquam
uero pater sanctissimus sancte religionis cursum fideliter consumma
uit, infideles multos ad Christi gratiam conuertit, pluresque
ad palmam martirii roborauit, astra conscendens exultat
cum sanctis angelis in eternum. Claruit autem uir iste sanctis
simus tempore Gallieni imperatoris, et Romani pontifi
cis Dionisii. In synodo etiam que contra Paulum Samo
satenum hereticum episcopum Antiochie facta est, cum Ate
nodoro fratre suo mirabilis apparuit. Depositus est
uero .xv. kalendas decembris. Regnante domino nostro Iesu Christo, qui cum patre et spiritu sancto
uiuit deus per cuncta secula seculorum amen. Sermo beati Gregorii
Nisene sedis episcopi de sancto Gregorio Neocesariensi episcopo.

FESTIVITATEM hodiernam sancti Gregorii
pontificis atque confessoris, fratres karissimi, deuotis
mentibus celebremus. Reuera enim qui sanctorum natalicia hono
rare student, procul dubio dominum saluatorem hono
rant, qui famulis suis in euangelio dicit. Qui uos audit
me audit, et qui uos recipit me recipit. Ergo qui dominum
in seruis suis honorant et recipiunt, non dubium est
quod premium eterne retributionis percipiant, iuxta
quod ipse dominus per prophetam loquitur dicens. Glorificantes
me glorificabo. qui autem me contempserint erunt ig
nobiles. Itaque beatissimum confessorem summa deuo
tione ueneremur, deprecantes suppliciter ut inter
mundanas uarietates atque procellas, nec non
malignorum insidias spirituum eius sanctissimis orationibus
gubernemur. Iste est siquidem sanctissimus et gloriosus Grego
rius qui ob insignia miraculorum prodigia que per dei
gratiam opulentissime patrabat, argolica lingua
theumaturgus hoc est miraculorum patrator appel
latus est. Ob quam rem etiam eximii patres qui muri
et fontes ecclesie fuere mirificis eum extollunt pre
coniis. Beatus namque Hieronimus cuius auctoritas
usque clarissime fulget in epistola quam scripsit ad mag
num romane ecclesie oratorem, talibus eum laudibus pre
dicat. Extant ingens Iulii et Africani libri.

qui temporum scripsit hystoriam. et Theodori qui postea
Gregorius appellatus est. qui miraculorum signa atque
uirtutes ad instar apostolorum efficaciter operatus est. Rursus
cum idem doctor cathalogum illustrium uirorum
describeret, ita de eo meminit. Iste quidem Theo
dorus qui postea Gregorius appellatus est Neocesarie pon
ti episcopus a puericie sue tempore archana scientie siti
bundo pectore haurire conatus est. adeo ut pro studi
is grecorum et latinorum litterarum de Cappadocia Beritum inde Ce
sariam Palestine migraret iuncto sibi fratre Atenodoro.
Quorum egregiam indolem cum uidisset, beatus Origenes
est cohortatus ad philosophiam. in qua paulatim Christi fidem
subintroducens suos quoque sectatores reddidit. Quinquen
nio itaque eruditi ab eo remittuntur ad matrem. a quibus
Atenodorus proficiscens panigyricum eucharistie
scripsit Origeni, et orsitea id est uirtutes. Et conuocata grandi
frequentia ipso quoque Origene presente recitauit.
que usque hodie stant scripta. Metafrasin quoque hoc est
translationem ecclesiastes breuem quidem sed ualde utilem.
et alie eius uulgo referuntur epistole. sed precipue signa
atque miracula que iam episcopus operatus est. Hec sanctus ~~Grego~~
~~rius~~ Hieronimus. huius itaque beati pontificis me
morabile signum nec sanctus Gregorius romulee sedis
antistes silentio preteribit. Nam cum miracula
Nonnosi abbatis in libro scriberet dialogico, sic eum de
montis translatione ad similitudinem protulit. In duobus
ingens miraculis duorum patrum est uirtutes imitatus.
in mole scilicet saxi sanctum Gregorium qui montem mouit
in reparatione lampadis uirtutem Donati. qui facto ca
lice pristine incolomitati restituit. Interea nec il
lud pretereundum existimo quod Gregorius Constantinopoli
tanus uirtute uenerabilis et litterarum studiis ad prime
eruditus. cum in peregrina lingua hoc est in greca cronicam
conponeret, ita huius sanctissimi uiri mirabilem protulit mag
nificentiam. Temporibus Gallieni et Volisiani imperatorum
et Cornelii romane sedis pontificis et martiris, Gre
gorius magnus miraculorum patrator in philosophie
perfectione que secundum Christum mirabiliter fulgebat. Cuius
condignam Cesariensis episcopus nescio qua pro causa laudem
et uirtutem non demonstrauit scribendo, cuius preclara mi
racula per uniuersum personant orbem terrarum. diuinisque
uirtutibus atque prodigiis mirabiliter coruscant. in tantum
ut ipsis etiam demonibus tamquam mancipiis poten
tialiter imperaret, per multam in deo habendo fiduciam
et uite et ubi mundiciam. Estimo eundem Eusebi
um ideo istius sancti uiri miraculorum magnitudinem
tacuisse, pro eo quod ab hereticorum blasphemiis penitus
purus et alienus extiterit. Idemque post paululum